

QUAESTIO I.
*An medium detur inter Substantiam
& accidens?*

Aρχομένῃ δ' ἔργῳ πρὸς ὧπρον χεῖρ ἴμεν τηλαυγὲς inquit Pinda-
rus in Olymp. od. 6. v. 4. *Rectè igitur ponimus in huius
Disputationis vestibulò eminentia ista Natura cacumina, Sub-
stantiam nempe & Accidens, ut vetus versiculus illa exprimit;
licet non Praxitelis curâ exsculpta & elaborata. Querimus;
num etiam medium inter hæc possit exurgere cacumen. Cautè
nobis hîc agendum. Multi quidem tale moliri conantur, sed
fundamentò ruinosò.*

*Rem sic aggrediamur: Propositum πρὸς βλημα consideratur vel Theologicè, vel Philosophicè. Si hoc? Omni-
nò negamus, illudq; retinemus immediatum, quemadmodum ab
Architâ Pythagoricò per Aristotelem accepimus Fr. Patricius
tom. 1. discuss. perip. l. 3. p. 33. & quidem non sine suffragio
Quiritum.*

*Prima & summa rerum consideratio est, ut omne quod
fuit vel erit, dicatur aut Substantia, aut Accidens, Tholozan.
l. 1. Syntax. aut mirab. c. 4. p. 4. Et quatenus aliquid di-
stinctum est, inquit Zabarella l. de facult. anim. c. 8. p. 713.
necesse est ut vel Substantia sit vel accidens. Quod horum neu-
trum est, nihil est. Adde eundem l. de mist. c. 13. p. 480.
Per. l. 6. Phys. ἀκροῦς. c. 10. p. 369. Ex veteribus Boëthium
l. 1. de Trinit. adv. Symmach. p. 1124. Et si daretur, esset il-
lud vel per ἀρνησιν, vel per μέθεξιν ex Zabarell. d. l. Non per
ἀρνησιν: quod negamus tam diu, donec affirmans, cui probatio-
nis onus incumbit, rationum momentis nos vicerit. Validam
enim rationem hætenus nunquam vidimus. Non per μέ-
θεξιν: Nam ut Accidens in Substantie naturam transeat fieri
nullo modo potest, vel Substantia in Accidens Boëth. l. 1.
Categ. Arist. p. 120. Species enim non miscentur Scalig.
ex. 268.*